THESIS PRIMA.

VElitationibus dnabus oppugnavimus aciem contra arduum justificationis articulum directam duplicem, *Jesuiticam* nimirum & *Calvinianam*; congrediemur jam, Duce JEHOVAH, cum Phalange *Photinianorum* hæreticissima, qua vix unquam pestilentior in Ecclesia exorta est, quæ Epicurææ securitati viam mmodius sterneret, quippe quæ omnium errorum sentina est, omnium blaiphemiarum fasciculus, omnium fidei articulorũ extrema depravatio, & Diabolica perversio, ut non immeritò à piis cordibus pro extremo hostis infernalis partu, & ultimo conatu reputetur.

II.

Tantæ malitiæ & petulantiæ egregium specimen animadvertimus in maximo illo fidei negotio *Justificationem* hominis coramDeo concernente, quod maleferiataPhotinianorum caterva funditùs subruit, omnem solatii spem afflictis conscientiis nefariè surripit, delirantis rationis suæ somnia stolidè assuit, adeoque hæreticissimè de salutari illo dogmate sentit & statuit, prout videre est, ex Socini scriptis, Ostorodi institutionibus & Smalcii Catechismo.

III.

Quod ut cuivis manifestum fiat, invicto & fundamentali hoc Syllogismo rem omnem complectemur.

Quæcunq; doctrina 1. Vindicatricem Dei justitiam negat 2. in causam efficientem principalem. 3. Instrumentalẽ, & 4. Formalem justificationis directè impingit, illa Heterodoxa est, & hæreticissima.

Photinianorum modernorum doctrina in præsenti Articulo talis est. E.